



BUCHONIA

FAMÆ PRÆNUNTIÆ PLANCTIBUS EXCITA.



Heu! quis istis insonat lēssus plagis?

Quæ fata nobis Fama præcurrentis notat?

Fallor an ominor?

Iam nigra peplo, planctibus rigens suis,

Fædata pallet ora; quid tantum mali?

Ludor an auguror?

Iam rore presso, qui genas rigat & sinus,

Lamenta ducit longa; quid gemitus volunt?

quid lachrymæ notant?

Heu dura fata! fortis heu diras vices!

Non fama ludit; ista nec fallit dies

Conscia planctuum:

Sentio subesse, Fama quod signat malum,

Fatumque triste, nigra quod dies notat

Nuntia funeris.

P A T R I Æ Pater, nostræque Caput Ecclesiæ

J O A C H I M U S, eheu! occidit, nostrum Caput

Occidit inclytum!

J O A C H I M U S, eheu! natus Illustri domo

G R A V N E G G I A N A, Buchonum Clarum decus,

Occidit, occidit!

Heu illa *statua* G R A N D I S, & origine potens,

S U B L I M I S illa S T A T U A, duræ corrui

Mortis ab I M P E T U.

Nil Clara virtus, grande nil juvit genus,

S T A T U Æ Q U E celsitas nihil; ruit, heu dolor!

Mortis ab I M P E T U

Corruit, occidit!

A 2

Heu